

heimicam & Ortenburgicam sitam Anno 1429. (n) Johannes Stockharner autem Sub-Mareschalli Provincialis Austriaci munere An. 1437. functus est: Der Edle Herr Hanns Stockharner Land. Unter. Marschall dictus. (o) Christianus Stockharner ab Antonio Greuel bona quædam Anno 1438. emit. (p) Sigismundus autem dimidiam partem Castris Blencz à Michaële Burggravio Magdeburgico Comite in Hardegg Anno 1440. in feudum accepit. (q) Idem Sigismundus Stockharner Puechbergii Dominus , acceptis mille libris denariorum dotis nomine ab uxore sua Ursula de Rizendorff/ bis mille libras post obitum suum restituendas pollicetur Anno 1444. cui negotio Christianus Stockharner Agnatus testis adfuit. (r) Idem Christianus vendidit bona quædam Agnato suo Sigismundo Anno 1445. (s) Hic cum consensu Friderici Quarti Romanorum Regis Uxori suæ Ursulæ Rizendorffæ, in Castrum Buchberg in securitatem dotis & dotalitii pro hypotheca Anno 1445. obtulit. (t) Anna Stockharnerin nata Euzingia de Euzing sub Annum 1447. in vetustis tabulis celebratur. (u) Sigismundus Stockharner Nicolao Lautner villam in Buchberg Anno 1447. hæreditario jure tradidit. Wolfgangus Abbas Göttweicensis decimas vini in Schönberg cum quibusdam bonis sc̄epius memorato Sigismundo Stockharner in feudum dedit Anno 1449. (x) Idem in duobus aliis literariis monumentis de Anno 1450. celebratur. (y) Nicolaus V. Pontifex Maximus Anno 1451. per bullam plenam remissionem omnium peccatorum in articulo mortis conlequendam , præviâ confessione , Agathæ Stockharnerin tribuit, hac tamen adjecta conditione, ut singulis Veneris diebus integri Anni à tempore hujus concessionis computandi , jejunium servaret. (z) Sigismundus Stockharner Ursulæ Uxori suæ Sigfridi Rizendorffers filiæ bona sua zu Obernblend / Neudorff / Rodingdorff / Obern : und Mittern - Reßbach / Reß & Domum Viennæ in plateâ die Walch - Straß / germanico idiomate dicta, Anno 1453. oppignoravit. (aa) Idem quadringentas libras denariorum Anno 1456. ab eâ mutuas accepit. (bb) Pro equo autem quam sibi Anno 1457. comparaverat debitum viginti duorum florenorum Hungaricorum contraxit. (cc) Porro Sigismundus ille Wolfgango à Misingdorff pro quadringentis florenis mutuis acceptis redditus suos ex duobus molendinis ad Campum fluvium (am Kamp) sitis Anno 1459. pignori dedit. (dd) Fridericus Romanorum Imperator Castrum Buchberg aliaque feuda Austriaca per mortem Sigismundi Stockharner aperta, Henrico Truchsessio & Wolfgango Kadauero Consilia-
rijs